

ARGUMENTATIO TELEOLOGICA

Gualterius Redmond. Austinopoli, Texiae, Statibus Americae Foederatis.
wredmond@texas.net.

Ex tempore Darwin, teleologica argumenta existentiae Dei monstrandae, quae antea plures philosophi ut rata acceperant (nec Hume nec Kant, vel “criticus”, omnino spreverunt!), e proscaenio philosophico exierunt. Nuperrime autem, ratiocinia “e consilio” in scaenam philosophiae analyticae iterum prodierunt, ubi in contextu *evolutionis* saepius considerantur et notio *verisimilitudinis* (seu probabilitatis) nonnumquam usurpatur. Quam quaestionem breviter ineamus.¹

Logos et teleologia

Graeci conspiciabant *logon* --rationem, “leges”, “legalitatem”, ordo, operatio propter finem--, in *physei*, in rerum natura. Natura quidem videtur fieri “consulto”, “e consilio”, “de industria”, “ex intentione”, “propter finem”, “secundum leges”. Nunc vero, haec *ratio* est radix argumentorum teleologicorum (“*telos*” Graece dicit “finem,” metam, destinatum). Atqui logos qui naturae inest, cum non videatur ipsi naturae debere (quae ex seipso nihil intendere potest), originem *extra* naturam suadet, scilicet intelligentiam quae de legibus naturalibus earumque operatione rationem reddat.

Exempla notissima talis argumentationis sunt “Quinta via” Sancti Thomae atque “analogia horologii” a philosopho Anglico Guilelmo Paley excogitato. Paley explanavit sic fere:

quemadmodum cogimur, videntes horologium (rotulis instructum aliisque partibus pusillis), admittere existentiam fabricatoris, ita, explorantes phaenomena naturalia (velut oculum), longe quidem involutiore horologio-- tenemur agnoscere intelligentiam pone haec phaenomena.²

Thomas in Quinta Via dixerat:

...corpora naturalia operantur propter finem. Quod apparet ex hoc quod semper aut frequentius eodem modo operantur ut consequantur id quod est optimum. Unde patet quod *non a casu sed ex intentione* perveniunt ad finem,

et concludit, ubi loquitur de causalitate physica (Ppq, “p causat q physice”):

ergo est aliquid intelligens a quo omnes res naturales ordinantur ad finem: et hoc dicimus “Deum”.

Evolutio

¹ Vide singula in Redmond, *Sensus Communis* (Apud Universitatem Lateranensem, Romae) vol. 4 (2003), n. 4 (mensibus Octobri-Septembri), pp. 375-398; *Revista de Filosofia* (U Zuliae, Venesolae), n. 46, Jan.-April, 2004, pp. 73-97; etiam in pagina interretiali:
http://www.enricomariaradaelli.it/aureadomus/thesaurus/thesaurus_indice.html.

² *Natural Theology, or Evidences of the Existence and Attributes of the Deity collected from the Appearances of Nature*, 1802.

Argumenta teleologica, olim magni aestimata, praesertim relicta sunt propter difficultates e *theoria evolutionis* exortas. Investigatio enim scientifica revelavit duas principales naturae leges in progressionem evolutiva vigere:

* ortus mutationum biologiarum: qui explanat quomodo aliqua animalia diversa nascantur a parentibus ab aliisque membris speciei

* selectio naturalis: per quam explanatur quomodo animal sic diversum possit superstes evenire in luctatione pro vita.³

Radix igitur evolutionis, cum selectio mutationes praesumat, reperitur in lege *mutationis*. Mutationes sunt variationes in genis ovuli fertilizati seu in gameta (videlicet, in moleculis acidi disoxyribonucleici, seu ADN) quae incrementum structuramque prolis regunt.

Summa est vero quod hae mutationes *forte* fiunt, nempe per radiationem, per effectus chemicos, per “errores” replicationis, et similia. Evolutio igitur viventium superiorum non fit “ex intentione” sed *temere et casu*. At patet contradictio:

* non a casu sed ex intentione (Thomas)

* non ex intentione sed a casu (scientia).

Nec mirum est argumenta teleologica, post acceptam evolutionis theoriam, defecisse.

Teleologia rediviva

Res autem sat aliter se habent --mirabile dictu-- in philosophia recentiore. Philosophus Antonius Flew est exemplum, qui celebris fuerat ob defensionem atheismi (in permultis textibus “introductionis in philosophiam” Anglice scriptis inclusam). Flew autem nunc confitetur:

oportet quandam intelligentiam, vel primam causam, universum creavisse,⁴

ideoque putat alicujusmodi ratiocinatio teleologica bene succedere.

Nonnulla talia argumenta in communitate philosophica nuper prolata sunt, quae non solum immunia sunt theoriae evolutionisticae sed per eam *suffulciuntur*. Immo, certus auctor, Georgius Schlesinger, reprehendit philosophos --et quod pejus est, inquit, philosophos *Christianos*-- quod argumenta teleologica calumniaverunt! Alius philosophus, Paulus Davies, totum rerum universum nuncupavit “opus prius excogitatum” (nempe ab intelligentia divina) et colligit ex studiis in campo physicae recenter effectis:

multae ex fundamentalibus physicis universi structuris, inter eas structurae organismorum vivorum, pendent decretorie ab exacta legum physicarum forma. Si universum cum legibus parum diversis creatum esset, non solum nos homines non adessemus ad tale universum spectandum, sed dubium esset utrum ullae structurae multiplices exsisterent necne.⁵

³ Cui accedunt selectio sexualis, vagatio genetica, ceterique processus.

⁴ Associated Press, mense Decembri 9, 2005.

⁵ Anglice: “*put-up job*”. *Superforce*, Novi Eburaci, 1984, p. 243.

Certa argumenta intricatam verisimilitudinis theoriam incorporant. Schlesinger ostendit quamobrem, datā ipsius rerum universi existentia, theoria quae, *Deo supposito*, rationem evolutionis reddit, probabilior sit quam explanatio quae Deum excludit. Alvinus Plantinga argumentatur *irrationale* fuisse accipere theorias quae Deum excludant, ex eo quod explicant ne cur quidem nos recte cogitemus. Ipse Darwin quidem dubitavit:

Coram me horrida dubitatio semper exoritur, utrum sententiae mentis humanae, quae ex mente animalium inferiorum evoluta esset, valeant vel fidae sint. Quisnam enim confideret sententiis mentis simii-- si quae sint in tali mente?⁶

Plantinga sic summam descripsit suam ratiocinationem:

Itaque videmus epistemologiam naturalisticam [veritatis theoriam absque Deo] melius florere in horto metaphysicae supernaturalisticae [theoria entis quae Deum includit]. Epistemologia naturalistica, una cum metaphysica naturalistica [theoria entis quae Deum excludit] ducit, viā evolutionis, ad scepticismum vel ad violationem rationalitatis canonorum; non autem si cum theismo conjungitur. Epistemologus naturalisticus ergo theismum malle debet quam naturalismum metaphysicum.⁷

C. S. Lewis quoque rationem similem excogitavit in suo libro de miraculis.

Casu an consulto?

Nunc autem de Quinta Sancti Thomae Via meditemur. Nam etiamsi *praesumamus* mutationes eo modo exoriri quo scientifici affirmant, conclusio argumenti Thomistici adhuc videtur recta esse. Ut hoc perspiciamus, recedendum est *retrosum*, ut *omnes* naturae leges contemplemur *simul*. Non solum leges evolutionis (mutationum, selectionis...), inquam, sed, puta, “legem venti”: qua moleculae aeris moventur de area altioris pressurae ad aream minoris pressurae. Funditus consideratae, scilicet *prout sunt leges physicae* (phaenomena causalitate physica innita, Ppq) arbor per ventum flata, radicitus, haud discrepat a molecula ADN per radiationem mutata. In hoc schema “V” = ventus flat, “Q” = arbor quatitur, “PVQ” = V causat Q physice, “R” = radiatur, “M” = gameta immutatur, “PRM” = R causat M physice, “AV” = Deus actualizat V, “ALRM” = Deus actualizat LRM”, ac proinde:

	AV	APVQ	AQ
	AR	ALRM	AM
Deus	↓	↓	↓ <i>actualizatio</i>
Rerum natura	V	PVQ	Q
	R	LRM	M

⁶ Epistula ad W. Graham, 3 Julii, 1881, *The Life and Letters of Charles Darwin*, ed. F. Darwin, (Londini, 1887), 1:315-316.

⁷ *Warrant and Proper Function* (apud prelum Universitatis Oxoniensis, 1993), p. 237; in *Philosophy of Religion/ The Big Questions*, p. 138.

causa causalitas effectus

Deus igitur non solum quod physice causat (V et R) quodque physicae causatur (Q et M) actualizat sed et ipsam physicam causalitatem (PVQ et LRM).

In suis Quinque Viis, Thomas in animo habet ostendere certos mundi aspectus (ut sunt mutatio, causalitas, contingentia, valor, ordo) referri ultra seipsos. Quinta Via *legalitatem physicam* ut talem conspicit, cujus existentia non sponte reddit rationem sui ipsius. Tum ventus tum mutatio ultra se referuntur, et “casus” vel “fortuna” nunc intra totum processum involvitur, rectum per leges physicas; scilicet in ipsam causalitatis rationem. Historicus S. Tugwell perspicax asseveravit de intentione Thomae:

quantum ad Thomam refert, non est tantum multiplex rerum natura nec earum subtilitas quod mentem certiore facit realitatis divinae, sed potius certae consequentiae metaphysicae quae sequuntur ex simplicissimis de rebus observationibus, jam primum ex eo quod, primum omnium, res *adsunt*.⁸

Ex conspectu existentiae ergo, flatus venti tam aenigmaticus est quam evolutio cerebri humani. Ventus flans: cur est? Quamobrem datur materia genetica quae mutari potest? Et quare sic operatur et non aliter? Quare demum in rerum natura invenitur illa *logos*?

Ortus hominis hominumque

Secundum traditionem Christianam, singuli homines pretii sunt unici, atque unicuique personae debetur “idonea” actualizatio sive “creatio specialis”. Atqui homo in eo differt a reliquis creaturis materialibus quod operatio ejus intellectualis ac voluntaria *leges physicas transcendit*, nam ejus intellectio et libertas physice non explanantur, nam conscientia et arbitrium non operantur secundum causalitatem physicam (Lpq). Deus igitur, in casu originis hominis, *duplicem* exercet actualizationem, nempe ad “corpus” atque ad “animam” relatam:

* actualizat processum physiologicum: efficit ut sint operenturque leges physicae et in procreatione individuorum et per evolutionem speciei

* actualizat homines singulares cujus operatio egreditur quod physiologicum est.

Anima autem, cum corpus assumat, consituit unitatem hominis singularis.

⁸ *Albert and Thomas/ Selected Writings*, editi, versi, annotati a Simon Tugwell, O.P (Novi Eboraci, Prelum A. Pauli 1988), p. 213.